



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Patrum deputatoru[m] sententia. n. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1580. magna diuini nominis Christianæque Disciplinæ gloria. Ne igitur vester hic constans animus, qui nullis incommodis ad impietatem torqueri flectiue vnamquam potuit, fallacibus rationibus ad vestram perniciem comparatis, aut diuinæ legis ignoratione pietatisuè simulatione deciperetur, & munere quod sustinemus dignum, & Christiani hominis officium debitum existimauius vestris pijsissimis optatis morem gerere, causamque vestram examinandam accuratè, diligenter, maturèque commisimus grauisissimis quibusdam Patribus ac Reuerendissimis Dominis Archiepiscopo Braccharensi, Archiepiscopo Lausanensi, Episcopo Conimbricensi, Episcopo Leytinensi, Reuerendo Patri Iacobo Laynez Generali Societatis *Iesu*, Magistro Fratri Petro de Soto, quem arbitramur vobis & facie & nomine notissimum, Domino Georgio de Atayde, Magistro Fratri Francisco Foreiro, Doctore Melchiori Cornelio, Iacobo Payua de Andrada item Doctore: quorum omnium Religio, pietas, & eruditio certissimis est testimoniis explorata, quorumque sententias nostro etiam iudicio comprobatas, non dubitamus, quin sententiæ totius Sacri Concilij instar sitis meritò habituri. Neque enim vestris rationibus putauimus expedire, causam hanc ad omnium Patrum conuentum referri.

IX. Hi igitur Patres ac Theologi quibus hæc Prouincia data est, cum saepe conuenissent, atque diligenter & circumspèctè diuina oracula, & Sanctorum Patrum sententias & instituta deliberando euoluissent, communibus suffragiis concluderunt, minimè vobis sine scelere, diuinæque indignatione licere eiusmodi hæreticorum precibus, illorumque concionibus interesse, ac longè multumque præstare quæuis atrocissima incommoda perpeti, quam in profligatissimis sceleratissimisque ritibus quouis signo consentire. Cum enim impia lex in animarum exitium lata & schisma confirmare, & Ecclesiæ Catholice integritatem, Romanæque sedis (quæ à Christo est summus Ecclesiæ suæ vertex in terra præfinita) nefariè auctoritatem conuellere, & labefactare molitur, quicumque iniquæ legi paret, illam (quoad eius fieri potest) tacita consensione approbat, in eandemque conspirat, atque eiusdem Schismatis particeps fit. Si enim vetera Ecclesiæ monumenta retinueritis, Sanctorumque Patrum scripta accuratè ac studiose euolueritis facillè intelligetis non minori studio semper Catholicos viros hocce Hæreticorum conuentus ac ritus quàm hæreticam ipsam etiam cum certissimo capitis periculo declinasse, vt qui erant persuasi non posse hæresis notam subterfugere qui ad ritus & preces hæreticis peculiare conuenirent. Vt enim vetustissimum Machabæorum interitum omittam qui præclaram mortè occubuerunt nè nefarijs Antiochi conatibus in diuinæ legis labem paratis obtemperarent, si eorum quæ diuus Athanasius scribit de calamitatibus quas suâ ætate Ecclesia Christi sub Arianis perpessa est memoriam repetatis, videbitis quot non solum ex Episcopis, sed ex Laicis quoque hominibus ingentem malorum eladem sustinuerunt, accerbissimisque mortis generibus interierunt, nè in Ecclesijs hæreticorum sacris Mysterijs diuinisque ceremonijs adessent, quamuis eo tempore in his peragendis

vete-

veterem Ecclesiæ morem retinerent hæretici, nihilque de illo prorsus mutaf-
 sent. Cùm enim in Templis sacris Mysteriis interesse maximum sit fidei &
 Religionis indicium, sapienter existimarunt pij homines, facto se Schismati
 consentire, & hæresim illam approbare (à quo animo tantum abhorrebant)
 si vnà cum Hæreticis in eorum Templis ad sacra ab ipsis peracta audienda con-
 uenirent. Si qui vero periculorù atrocitate perterriti conueniebant, malè lem-
 per apud verè pios audiebant quamuis veram & incorruptâ fidem animo illos
 retinere cognoscerent; Quanto igitur iustius iisdem viri Sanctitatis splendore
 clarissimi, si omnes Ecclesiasticos ritus Schismate nunc immerfos cernerent,
 nouum cultum (vt res ipsa præ sefert) in contemptum Catholicæ Ecclesiæ
 introductum, Conciones nimia blasphemiarum varietate confertas, omnia
 denique ad Catholicam vnitatem dilacerandam comparata animaduertent,
 eos impietatis dâarent qui legis immanitatem formidantes ab hilce scclera-
 tissimis conuentibus non segregarent se & seiungerent, vt Dominus Filios Is-
 raël à Tabernaculis Core, Dathan, & Abiron separari præcepit, nè iisdem
 iniquitatibus inquinati, pariq; Schismate inuoluti simili vltione perirent. Qui-
 bus accedit quòd si vos qui tam diu forti & infracto animo sceleratos Hæreti-
 corum conuentus funditus repudiastis, nunc tandem timore consternati
 iniquæ legi obtemperantes aliquid de vestra pristina constantia animiq;ue
 firmitate remittatis, fieri non potest quin fidei & Religionis hostes gloriètur,
 atque de Catholica Ecclesia tanquam insigni quadam parta victoria trium-
 phent, & sua praua dogmata vestrà infirmitate apud alios stabiliant, atque
 ita qui Ecclesiæ Catholicæ communi omnium Matri insigni estis decori & or-
 namento, hac hæreticorum insolentiâ opprobrio esse incipiatis. Quam hære-
 ticorum deliram insolentiam insanumq;ue triumphum diuini honoris inflam-
 matus amor Christianæque Caritas ita semper abhoruit vt ad illa comprimenda
 nulla pericula declinauerit. Quo circa Sancti Patres, à quibus Christianæ Disci-
 plinæ leges discimus, vnà affirmant, quod tametsi sæpe quiuis veram fidem oc-
 cultare & dissimulare ritè possit (vt à Sanctis Martyribus factitatum legimus)
 si meritò tamen vereri quis possit ne ea fidei suppressio hanc Infidelium con-
 tra diuinum nomen insultationem, diuinæque gloriæ abiectionem pariat, mi-
 nimè quidem sine graui scelere, diuinique honoris prodicione poterit diutius de-
 litescere: Diuinæ enim gloriæ amor tam tenaciter debet Christianis animis
 hære & infigi, vt pro illa tuenda & amplificanda, cùm opus fuerit, se suaque
 omnia forti & constanti animo in discrimen offerant: Et id quidem est Deum
 toto corde, & vniuersis viribus diligere, illumque totis visceribus complecti:
 Ingrati enim animi est illius honorem negligere aut quouis terrore aspernari,
 qui seipsum turpissimæ morti tradidit vt homines à peccatorum dedecore
 vindicaret, & in gloriam Filiorum Dei adscisceret.

Deinde animaduertite quale quantumque scandalum possitis concitare, inter
 eos qui eodem in regno degentes nondum in illis fidei lux planè oppressa est,
 qui etiamsi ex pusillanimitate non ausint nefariæ legi repugnare, vestram tamen

1580. constantiam non poterunt non demerari illaque quo magis splendescet magis incitari; quam si vos viderint abijcere, iure poterunt existimare nunc tandem illam heresim vobis placuisse cuius ritibus fauere præ vobis fertis, non obscureque indicatis: & quo magis ceteris generis nobilitate & splendore præitis eo vestrum exemplum erit perniciosius, vererique debetis nè qui semper præclarum Religionis & pietatis exemplar existitis, nunc tandem impietatem in pusillorum animos infundatis, neue illa fidei & pietatis scintilla quæ in illorum lucet mentibus vestrà simulatione extinguatur. Nam cum summam Christianæ Disciplina diuus Paulus in proximorum officiosa dilectione collocauerit, semper Antiqui Patres existimarunt nunquam Christiano homini licere fidem obtegere quando aut fratrum impendet ruina, aut si illa aperiatur, pateatque, fidei eorundem fratrum augmentum firmitudoque speratur Cuius nobis præclarum exemplum prodidit illustris Martyr Sebastianus, qui fidem quam occultauerat vt Christianorum rebus afflictis prospiceret (erat enim Casari valde carus) patefecit, vt Martyrum quos ad necem duci cernebat constantiam fidemque firmaret, atque ita eadem caritas, quam fidem intra pectoris angustias concluderat, edidit & promulgauit. Officiosa etenim caritas, cum non querat quæ sua sunt, se ad omnium necessitates accommodat, & tum maxime suis rationibus consulit cum alienas proprijs præfert; vt superseedamus reliquis fidelibus in exteris Prouincijs degentibus, quibus tamen res omnes in ipso regno gestæ notæ sunt & exploratæ. His enim cum intuentur vos tot laboribus exagitados, tot vitæ periculis expositos, bonorum perenni quadam iacturâ, statuisse tamen omnem cruciatum perferre potius quam fidei depositum vobis à Christo creditum cum rerum omnium affluentia deserere ac perdere, estis singulare quoddam virtutis documentum, atque ad præclara facinora libenter subeunda incitamentum: Neque enim non possunt vestram felicitatem suspicere & prædicare, qui persecutionum propter iustitiam perpeffione vobis ad regnum Cælorum viam munitis, atque vt illam perpetuo conferuetis à D.O.M. perennibus deprecationibus contendunt: Fieri autem nequit quin tanto maius scandalum apud illos excitetis quanto præstantius virtutis specimen hætenus præbuisstis; Quæ quantum cum Christiana Disciplina & caritate pugnent nemo non videt. Hæc verò quanquã sint satis firma argumenta ad vos ab eiusmodi Conuentibus arcendos, etsi tamen illa non extarent, vel hoc vnum sufficeret ad vestram de hac re sententiam confirmandam, quod omnium atatum experientia, & Sanctorum Patrum admonitionibus, atque certe ipsius naturæ impulsu didicimus, nostrâ comparatum esse vt humanus animus flexibilis, inconstans, & commutabilis facile ab ijs quæ frequentat capiatur & demulceatur, atque quæ principio perhorruerat, paulatim & sensim sese in eorum animos insinuent, atque incipiant nimia consuetudine placere quæ maximopere antea displicuerant, non lecus atque modicum fermentum ingentem massam corrumpit: Quare Christus Iesus, humani generis Doctor & Redemptor à fermèto Pharisæorum cauere Discipulis præcepit. Quamuis igitur nunc constanti sitis animo, & à celeratis conuen-

tibus

tibus ritibusque alienato, fieri tamen non potest (nisi humanitarè exuatis) ut ad illos sine ingenti periculo ventitetis. Id quod in frequentanda hæreticorum Doctrina multo magis cernitur, quæ velut contagium serpit & grassatur, atque animos audientium nihil minus sæpe cogitantes prauis opinionibus imbuunt & inficit: Id verò non metuere insignis est improbitatis aut insolentiae argumentum. Quocirca Diuus Paulus tanto studio prauis colloquiis cunctis fidelibus interdixit, ut quæ ad bonos mores corrumpendos plurimum valent: Vnde extat prouerbium, Qui se in apertum periculum conijcit, peribit in illo. Tametsi enim tali periculo minimè lædatur, criminis tamen reus est quia se in illud temere præcipitavit, & sola temeritate diuinam læsit Maiestatem. Si qui verò tantâ fuerint doctrinâ, constantiâ, et egregiis animi dotibus præditi, ut intelligant se nullis prauis opinionibus infici posse aut contaminari, habeant tamen, reliquos ex stimaturos sibi ea omnia licere quæ illorum documento didicerint, atque ita fratres suo exemplo perdent, quos eo magis seruare oportuit quo pluribus & præstantioribus sunt à Deo beneficijs cumulati.

Iam verò perpendite quales tandem filij vestri sinteualuri, si vestro exemplo illorum tener animus tam sceleratis ritibus, & tam nefariis præceptis institutisque assuefiat: neque domestica disciplina tantum valere poterit ad illorum mentes pietate & Religione imbuendos, quantum publica & externa ad illos inexpiabili scelere peruertendos: ferè enim fit ut zizania triticum premant.

X. His & non paucis alijs rationibus commoti (quas longum esset & non necessarium commemorare) iudicarunt Patres & Theologi animarum vestrarum saluti expedire patria potius cedere, aut quauis miseræ afflictæque fortunæ tela forti & infracto animo sustinere quàm iniquissimis legibus cum fidei & Religionis dedecore vlla ratione parere. Etsi enim diuina lex sacris literis consignata & explicata Ciuiles leges sanctè augusteque sequi & colere, Principumque quorumuis autoritatem habere sacrosanctam doceat, omnibus tamen humanis legibus diuinas, atque ad eò Dei nutum & arbitrium esse præferenda, magistrâ ac duce Naturâ, & eadem diuina lege discimus: Cæsari enim reddere præcepit Christus quæ sunt illius, Deo verò imprimis quæ illi maximè sunt debita. Quin etiam diuus Petrus, qui tam multis persuadet perpetuam atque constantem esse Dei voluntatem ut Regibus pareamus, dominique subiti simus non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis & prauis, cum tamen de diuino agitur honore, obtemperandum esse Deo magis quam hominibus apertè & constanter coram vniuerso senatu clamat atque testatur. Quocirca, fratres dilectissimi, facite ut ita alijs omnibus in rebus, quæ cum diuina voluntate non pugnant, Principum vestrorum legibus obtemperetis, illorumque auctoritatem tueamini, ut intelligant vos hac vna in re, non tam illorum instituta contemnere, quam diuina humanis, ut par est, anteferre. Quod si ad vestram constantiam tuendam & amplificandam pertuasionibus & exemplis egere arbitramur, domestica quidem tot & tam præclara, non